Nec minus tamen m. l. propterea respectu nostri Fortis dicitur, quia tam
fortiter conservat suam Ecclesiam ut ne portae quidem inferorum adversus eam
valeant. Vah! quam fortiter ipse Ecclesiam suam, ut ne portae quidem infe-
rorum adversus eam valeant. Vah! quam fortiter ipse Ecclesiam suam in
ipsis incunabulis suis conservavit? Quam fortiter gravissimis insultibus
Diaboli restitit, ne illam in herba deprimerent multo minus opprimerent: Cer-
tum quidem hoc est, quod Diabolus mox serpentem rectum, mox tortuosum egerit,
dum nonsolum per tyrannos Ecclesiam invasit, inque vero suo vultu ac cul-
tu conspiciendum praebens, in ipsos neophytos per tria illa priora
secula sub X Imperatoribus Ethnicis, Nerone, Domitiano, Trajano,
Antonino, Severo Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano et Maxi-
miniano ferro flammisque saevit, verum etiam fraudulentis haereticorum technis
eandem arietavit: nec tamen utroque hoc persecutionum genere quicquam obtinere
potuit. Tantum abest, ut largifluus sanguis Christianorum Ecclesiam exting-
erit, ut ea potius tanquam irrigua herba succresceret latissime atque
latissime. Est et dicitur porro Jesulus noster Fortis respectu nostri quo-
niam nos confortat in omnibus adversitatibus. O bonitas tua exclamat hic
Origines, O virtus atque magnificentia tua Rex aeterne! quam magnam
consolationem tribuis iis, qui ad te confugerint, et constantia fiduciam
a te speraverint, ut neque hominum, neque jumentorum, neque animatorum, neque in-
animatorum potestatem habeat adversarius nisi ubi permissum fuerit.
Est et denique respectu nostri Jesulus noster Fortis quoniam efficax
est in verbo suo. Ecce n. verbum ejus potentia est ad salutem om-
ni credenti. Unde et Dominus dicens ac faciens in proverbiis Salo-
monis dicitur, et alibi verba ipsius Christi legere licet: Caelum et
terra transibunt verba a. mea non transibunt. Quid ergo? Non-
ne inde est quod ipse alicubi in Veteri Testamento exclamet Jesu-
lus noster. O mors ero tibi venenum! O inferne pestis tibi ero.
Ubi sunt igitur tales Imperatores, qui quod dicunt facere si-
mul possunt: ubi sunt tales principes atque Heroes penes quos
statim dictum sit factum? dubito et recte quidem dubito an
ullus in tota hac rerum universitate reperiatur qui talis sit.

SLUB Wir führen Wissen. GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK Uniwersytet Wrocławski